



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Centvriæ Selectorvm Casvum Conscientiæ. I. II. III.tia

Burghaber, Adam

Fribvrgi Brisgoiæ, 1665

55. Levtfriðvs non peccat mortaliter aliam in vxorem ducendo, quàm Pater eius velit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40942

ipse Caramuel ab hâc & similibus novis opinionib. malè audiat, grauterq; à nonnullis censeatur. *Ad 2.* Negamus, Deū propriè dispēsasse cum Osea, sed mandando effecit, vt mulier, quæ prius fuerat fornicaria, post Prophetæ cōsensū foret vxor istius, vt ex Richardo rectè Dicastillo *L. 1. de virt. Cardin. D. 3. n. 247.* *Ad 3.* Dicimus cum Lessio *L. 4. c. 3.* Quamuis melius sit proli, sic esse, quàm non esse, si tamen parentes velint operam dare generationi, debent id ita facere, vt opus habeat convenientem ordinem ad prolem tum suscipiendam, tum educandam; quod si hoc ordine careat, priuant, quantum est ex vi actûs, prolem hoc bono, siquidem istud ex tali actu non est natum sequi, sed contrarium.

LV. Leutfridus ambit nuptias se dignas cū Iulia nobili Virgine, sed Pater obtrudit ei Iulianam paris nobilitatis puellam, grauter minitans, nī pareat: ille tamen neglectis minis, & Consensu Patris contrahit cum Iulia. Queritur. An Leutfridus peccet mortaliter contrahendo cum Iulia contra voluntatem & consensum Patris?

Videtur sic peccare. Ita Guttierrez, Petrus Barbosa, Veracruz, & alij, quos refert & sequitur Facundez *L. 4. in Decalog. c. 4. n. 4.* Quia in re graui & iusta non obedit Patri, & offendit eum absque iusta causa.

Resp. Leutfridum non peccare mortaliter in eundo cum Iulia dignum se matrimonium.

Ll 3

Ita

Ita D. Thom. 22. q. 104. art. 5. c. Toletus L. 5. Sum. c. 1. n. 6. Henricq. L. II. de Matr. c. 6. n. 4. Sanchez L. 4. de Matr. D. 23. n. 10. & plures alij. Ratio est quia in ijs, quæ ad electionem statûs, ad propriij corporis sustentationem, & ad filiorû generationem spectant, omnes homines sunt pares, nec filij subijciuntur parentibus; vnde isti imeritò offenduntur, si obedientiam ab illis hâc in re non experiantur.

Atque ex hoc patet ad rationem Aduersariorum, quibustamen duo dederim. Primum cum Sanchez loc. cit. Filium teneri consulere patrem, saltem si commodè fieri possit, & nõ longè absit, aut si non timeat malitiosè impedimentum. Alterum cum Toletto loc. itidem cit. filium teneri etiam obedire Patri, si multùm referret, illum cum alia contrahere v. g. ad graues inimicitias inter magnas familias tollendas &c.

LVI. Lot Genes. cap. 19. vt viros, quos hospitio suo susceperat, contra vim Sodomitarum seruaret intactos, ait ad istos v. 7. Nolite, quæso, Fratres mei, malum hoc facere, habeo duas filias, quæ necdum cognouerunt virum, educam eas ad vos, & abutimini eis, sicut vobis placuerit, dummodo viris istis nihil mali faciatis. Queritur. Rectè hoc fecerit?

Videtur rectè fecisse. Ita Vasquez opusc. de scand. q. 4. 43. art. 1. dnb. 1. n. 9. Turrianus, Bas. Pontius, & post alios Diana Tom. 5. rr. 7.

Res.